

**Dissertatio medica, inauguralis, de leucorrhœa ... / eruditorum examini subjicit Georgius Keating.**

**Contributors**

Keating, George.  
Lister, Dr  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, 1780.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/p69eyqmd>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O MEDICA,

INAUGURALIS,

D E

LEUCORRHOE A.



DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

10

D E

LEUCORRHOE A.

Q U A M,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

N E C N O N

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;


Eruditorum examini subjicit

GEORGIUS KEATING,

HIBERNUS,

Soc. Phys. Edin. Soc.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.



E D I N B U R G I:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXX.

13

13. *Contra Iudicium Iustitiae*

14. *Contra Iudicium Iustitiae*

15. *Contra Iudicium Iustitiae*

16. *Contra Iudicium Iustitiae*

17. *Contra Iudicium Iustitiae*

18. *Contra Iudicium Iustitiae*

19. *Contra Iudicium Iustitiae*

20. *Contra Iudicium Iustitiae*

21. *Contra Iudicium Iustitiae*

22. *Contra Iudicium Iustitiae*

23. *Contra Iudicium Iustitiae*

24. *Contra Iudicium Iustitiae*

25. *Contra Iudicium Iustitiae*

26. *Contra Iudicium Iustitiae*

27. *Contra Iudicium Iustitiae*

28. *Contra Iudicium Iustitiae*

29. *Contra Iudicium Iustitiae*

30. *Contra Iudicium Iustitiae*

31. *Contra Iudicium Iustitiae*

32. *Contra Iudicium Iustitiae*

Viro eximio,

F R A N C I S C O   L O Y D,

L I M E R I C E N S I,

Artis Medicae peritia,

Priscaque vitae integritate conspicuo;

Ob plurima beneficia, tum ægrotantem, tum valentem,

In se collata;

Nec non,

R I C A R D O   R Y A N,

Juris Legumque imprimis perito;

Et

G U L I E L M O   R Y A N, M.D.

Cognatis; et tam pueritia quam proiectiori aetate,

Sociis carissimis,

Et peregrinationibus variis olim sodalibus dilectis;

Hocce opusculum, qualecunque sit,

In perfectum amicitiae testimonium,

D. D. Cq.

G E O R G I U S   K E A T I N G.

*C. Lester*  
on his most hum<sup>ble</sup> ser.

*G. Heathcote*

D I S S E R T A T I O M E D I C A ,

I N A U G U R A L I S ,

D E

L E U C O R R H O E A .

C U M muliebre corpus adeo mobile,  
adeo sit delicatum, ut a caūsis saēpē  
levissimis graviter afficiatur, operae fane  
preium est, morbum amabili sexui molef-  
tissimum considerare.

Quamobrem, dissertationem inaugura-  
lem scripturus, Leucorrhœam præ caeteris  
selegi.

Quum

Quum vero plurimae sint species hujus morbi; nempe, uteri, vaginae, vesicae, et ovariorum: Tamen de illa solummodo specie tractaturus sum, quae oritur ab iisdem vasis quae menses profundunt. Postea tamen conabor notare signa, quibus variae species dignoscantur.

## DEFINITIO.

Juxta celeberrimum Cullenum, leucorrhœa, sive fluor albus auctorum, est menorrhagia alba, serofa, sine vitio locali, plerumque et fere semper cum menorrhagia conjuncta est; vel eam mox sequitur. Morbofa est enim liquidorum a sanguine rubro diversorum effusio, ab iisdem vasis quae menses profundunt. Quam ab iisdem causis ac menorrhagiam rubram oriri, satis verisimile est.

HISTO-

## H I S T O R I A.

Hic morbus foeminas invadit, eo praeferunt tempore, quo menses primum erumpunt. Vix ulla tamen aetas ab eo immunit. Puellas impuberes, et foeminas annis proiectas, infestat; a viris enim fide dignissimus notatum est, circa quadragesimum quintum aetatis annum, leucorrhoeam saepius invadere. Nec mirum, quum tam insigniter muliebre corpus tunc mutetur.

Licet omni tempestate, omnique sub coelo, adoriatur hicce morbus; tamen per autumnum, et in regionibus humidis, eidem magis obnoxiae sunt mulieres.

Quod temperamenta spectat, certum nihil statui potest. Quum nulla sit corporis dispositio, quam non aliquo tempore

B

invadere

invadere possit; veri tamen simile est, ca-  
cheáticas, laxas, molles, phlegmaticas, leu-  
corrhoa prefertim vexari.

Huic morbo maxime sunt obnoxiae  
quae aut menorrhagia, aut amenorrhoea  
laborant: Neque injuria. Forsan mulieres  
habitu plethorico, valde sentiente, haemor-  
rhagio donatas, his adnumeraveris. His con-  
sideratis, ad ipsa morbi signa adveniamus.  
Scriptores medici duas species hujus mor-  
bi descripserunt. Unam continuam, nem-  
pe, et alteram periodicam, quam pro parte  
tantum fluxus naturalis menstrui habent.

Morbi initio, nisi violentus sit, nullo fe-  
re dolore afficitur aegra.

Hoffmannus ille accuratissimus, non  
virgines tantum, sed et nuptas etiam, per  
annos plures, albo fluore, sine damno fani-  
tatis notabili, laborasse, afferit.

Materies alba primum, aut albescens, in viridem, fuscum; aut nigram, si morbus diu perduraverit, immutatur. Sed, si leucorrhœae superveniat iæterus, tunc humor effusus colorem flavum saepe adipiscitur, teste celeberrimo Home. Operae tamen pretium est observare, insignes has colorum varietates, in fungosis, ulcerosis, schirrosis, cancrosive uteri affectionibus, saepius quam in leucorrhœa, locum habere.

Inde patet ratio, quare notaverint scriptores, inflammationes excoriationesque exquisitissimas hunc morbum interdum comitari. Liquida enim uterina, quae natura mitia sunt, mordaciter acria fiunt, omnia erodunt, hocque modo signa jamjam memorata producunt.

Hactenus enim de affectionibus tantum utero propriis diximus; at alii sunt aliis visceribus peculiares ab utero affecto ortae, et quaedam profecto quae universum cor-

pus

pus afficiunt : Quas inter imprimis notari merentur ventriculi et respirationis male habentium symptomata.

Quod ad ventriculum laesum spectat, symptomata eadem fere sunt ac in dyspepsia, anorexia scilicet, nausea, ructus acidi, inflatio, alvus plerumque astricta. Quod ad respirationem attinet, haec plurimum turbatur, ita ut a motu vel levissimo vehementer anhelant aegrotae. Halitus quoque oris ita foetet nonnunquam, ut aegram fugiant cognati, amici, servi, maritus, neque ipsa se aegra ferre possit \*.

Ad congestiones praesertim oculorum valde proclives sunt foeminae, in hoc morbo. Urgent praeterea continui in coxis ac dorso dolores ; qui gravativo sensu stipati ad uterum quoque perveniunt. Non minus crebra mingendi cupiditas, licet parum bibatur, vexat ; et urina mox parca quantitate,

sub

\* Hoffman.

sub magnis conatibus, mox vero majori,  
quam liquida assumentur, copia mitti ob-  
servatur; molestis porro flatulentis ad-  
figuntur, nocturnosque patiuntur sudores,  
absque tamen virium collapsu \*.

Haec tamen levia, prae iis quae infelicem  
aliquando torquent malis.

Neque tacenda sunt symptomata ab Hoff-  
manno saepe memorata, ingens nempe totius  
corporis debilitas, pallor universus, torpor,  
crurum oedema, lumborum dolor, cordis  
palpitatio, animi deliquia, et, nisi artis auxi-  
lia intervenerint, febris hectica haec sympto-  
mata excipiet, et mors malorum omnium  
finem faciet.

## S E D E S

\* Hoffman. tom. 4. p. 296.

## S E D E S M O R B I .

De fonte hujus morbi inter se dissentunt auctores ; nonnulli duas notaverunt fluoris albi species, uteri, nempe, et vaginae. Tam en, quum Cullenii sententiam amplector, de praedicta solummodo leucorrhœae specie differam, (nempe de illa quae oritur ex finibus arteriarum exhalantium.) Alias et uteri, et vaginae, et ovariorum affectiones, album profluviū producentes, nec non effluvia e renibus et vesica urinaria, omitto. Et jure quidem in praceptoris sententiam abeo ; ut caeteras enim rationes, pro hac militantes, taceam ; quid quaeſo efficit ut quae mulieres lochiorum et mensium effusionibus praecipue obnoxiae sunt, eaedem quoque leucorrhœa infestantur, nisi quod omnes hi fluxus ex eodem fonte oriāntur ?

## D I A G N O S I S

## DIAGNOSIS.

Leucorrhœam inter et gonorrhœam virulentam discrimen accurate notare, haud facile est, praesertim quum oritur a catharticis nimis large adhibitis. Sed, quum non eadem exigant remedia, eas pro viribus distinguamus necesse est.

Subito et rapide progrediuntur gonorrhœae symptomata : Lento quasi pede leucorrhœa incedit. In priori, qui initio albicit color, nunc in flavum aut viridem cito transfit ; nunc in tabescere sanguinolentum vertitur. In posteriori autem, coloris mutatio et materiae acrimonia lentius augentur. Ardor urinae in gonorrhœa fere semper adest, in leucorrhœa plerumque deest. A renum et vesicae ulcerationibus, facile fecernitur leucorrhœa. In illis enim non nisi

non nisi inter mingendum, purulentus effunditur humor; in hac autem, omni tempore stillicidium manat. Leucorrhœam a carcinomatibus uteri aut ovariorum facile distinguet, qui tumorem in regione hypogastrica sentiendum, et dolores aegram (utero imprimis presso) vexantes, secum reputabit.

## P R O G N O S I S.

Plus est in hoc morbo molestiae plerumque, quam periculi. Cui tamen sedulo prospicere debet medicus; quia, si diu persistat, alios et quidem gravissimos morbos parere potest.

Si fluor diu jam perfiterit, si neque dolor adfuerit vehemens, neque ulceratio, nec excoriatio, si functiones naturales non multum turbatae, alvus regularis, appetitus non multum prostratus fuerint, si functiones vitaless

vitales constent, si vigeat juventus, denique si functiones animales nihil turbentur neque aegra moerore deprimatur: Sperandum est tunc, ut, adhibitis idoneis medicamentis, sanetur.

Si contra morbus diutius duraverit, cancer est jure metuendus: Praecipue si exco-riationes, ulcerationesque antea memoratae, per longum temporis intervallum aegram exagitaverint. Si oculi cavi, vultus pallidus, corpus totum macrum, debilitas ingens, diarrhoea, sudor nocturnus, aliud nihil praeter mortem certissimam est exspectandum. Hanc autem argumenti partem dimittere nequeo, quin observationem olim ab Hippocrate sapientissimo factam commorem, mulieres scilicet, albo fluore vexatas, minus esse generationi habiles: Neque obscura est, ni fallor, hujus mali ratio; cum enim abortus a soluto nexu uterum inter et placentam pendeat, liquido patet, ob vaferum debilitatem in hoc morbo, et humidi-

tatem plus justo majorem, levissima causa, hunc nexus solvi, ac abortum fieri posse.

### CAUSÆ EXCITANTES.

Redundantia humorum tenuiorum, laxitas vasorum uteri, et omnia quae corpus debilitant, aut fibrarum tonum imminuunt, ad hoc caput referri possunt. Hinc, si uteri substantia, tum fibrae ejus, tum vasa relaxentur et debilitentur, Leucorrhœa oriri potest.

Teste enim Morgagno, interna uteri cavitas pertunditur exiguis hiatibus qui liquorem blandum aquoso-mucosum fudant, ut madida maneat superficies uteri, et impeditur cavitatis concretio. Hinc, si talia uteri vascula nimis laxentur, nimia copia hunc liquorem effundunt. Itidem descensus ute-  
ri,

ri, elongando et comprimendo vasa ejus, hunc morbum producunt. Intentio muscularum dorsi, abortus, nimia venus, aëris frigidi et humidi vicissitudo, victus plenus, et etiam victus aquosus, ingesta spirituosa, ebrietas frequens, nec non ea quae sanguinem majori copia et impetu in vasa uterina impellunt ; nempe nifus corporis violentus, emmenagoga, et mercurialia, vehementes corporis succussions, ictus, aut nimia saltatio, inferiori abdominis parti vis illata, vehementes animi affectus, alvus nimis astricata, inter dejiciendum nifui violento ansam praebens, frigus pedibus admotum, partus frequens, sine infantis lactatione, partus difficiles, et, denique, omnia laxitatem corporis inducentia, lecti nimis molles, qui ideo nimis calefaciunt, et liquores tepidi enervantesque, hypocaustorum usus frequens, fluorem album procreant.

## RATIO MEDENDI.

Cum antea dixerim, morbum hunc a corporis totius, imprimis autem uteri vaorum laxitate pendere, medendi consilium erit, tonum his reddere astringentibus, interne et externe applicatis; secundo, humores, vel quantum fieri potest, ad uterum ipsum ruentes, alio divertere.

Ad prius consilium apta sunt astringentia remedia, quae duplicis sunt generis, vegetabilis scilicet, et fossilis. Priora posterioribus longe debiliora; sed, quum in hoc morbo alvus plerumque astricta sit, cathartica prius adhibenda sunt, quam ulla dentur astringentia remedia. Multi laudaverunt usum jalappae, propter similitudinem fluidorum influore albo ac in hydrope. Sed, me judice, rheum

rheum jalappae anteponendum est, propter amaritatem ejus et vim astringentem.

Aloetica intestina tantum ampliora evacuant, nocentque haemorrhoides frequenter producendo. Sulphur satis idoneum videtur remedium. Et vel hoc, vel oleum ricini, aliis omnibus anteferendum; quoniam mitia sunt, neque intestina irritant. Si ventriculus hoc ferre nequeat, cum quinta tincturae fennae compositae parte misceri debet. Tinctura rhei cum aqua cinnamomi maximo cum commodo usitata fuit.

## VEGETABILIA ASTRINGENTIA.

Bistorá et tormentilla adhibitae fuere. Peruvianus autem cortex aliis omnibus palmarum praeripit. Sed, quum ventriculus corticem rejicit, cum opio misceri debet.

Pulvis

Pulvis cicutae cum successu usitatus,  
praesertim ubi pudenda acrimonia fluoris  
albi erosa fuerunt \*.

### ASTRINGENTIA FOSSILIA.

Plumbea omnia, cum vim non modo a-  
stringentem, sed et narcoticam, habeant,  
caute debent adhiberi.

Chalybeata vi narcotica priorum carent,  
et aeque sunt tonica. Omnibus hujus me-  
talli praeparationibus palmam forsan prae-  
ripit rubigo, seu limatura praeparata, quae  
facile solvitur acido primarum viarum.

Ab aquis mineralibus martialibus hunc  
morbum saepe sanatum vidi.

Serum aluminosum, aut alumnen cum  
sanguine draconis, felici saepe cum succe-  
su adhibetur.

Exercitatio

\* Home Praelect.

Exercitatio astringens est remedium, quatenus partes solidas firmat, roborat, densatque, particulis scilicet earum probe compressis, et tenuioribus aut aquofisis expressis, aut exhalatis. Gestatio ambulationi anteponenda est, quia aegram minus fatigat. Idonea igitur exercitatio, dietae regimen aptum, balneum frigidum, frigoris applicatio prope partem laborantem, inter efficaciora habenda sunt medicamenta.

Prudentia in his remediis adhibendis opus semper est: Si adfit aliqua pulmonum morbosca affectio, vitanda sunt cortex Peruvianus et balneum frigidum. Inter omnia, exercitatio lenis in aëre sicco et sereno, ubi mens negotio aliquo jucundo occupata est, maxime prodest.

Testacea fuere commendata. Vidi ipse mulierem in Nosocomio Edinensi, quae per tres annos hoc morbo laborasset, fanaticam aquae calcis usu per octo dies.

*2do, Astringentia utero applicata.*

Fumigatio uteri gummi mastiche, et, quando dolor maximus adeſt, injectio decocti feminis lini cum opio, levamen attulerunt.

Cum tamen ab his gangraena, cancer, multaque alia mala metuenda fint; summa in his adhibendis prudentia, et circumspectione semper opus erit.

*3to, Fluida in uterum ruentia alio avertendo.*

Si ab amenorrhoea proficiscatur malum, venaefectio proderit. Haec tamen debilitat, plethoram auget, adeoque caute admodum est imperanda. Lenia tantum diaforetica exhibenda, qualia sunt decoctum lignorum in aqua calcis\*. Convenit quoque

\* Manning on fluor albus.

que indusium laneum induere; sed violenta diaphoretica periculo non carent, scilicet, quia canceribus, &c. locum praebent, quum corpus nimis calefaciunt.

Diuretica etiam utilia sunt, minuendo quantitatem humorum, et eorum fluxum ad renes avertendo. Quum fluor albus pertinax est, et temperamentum adeo debilitatum, ut non ferre possit incrementum evacuationum naturalium, tunc exinanitiones artificiales commode substitui possunt, et imprimis fetacea et fonticuli.

Cibus nutriens sit, et simul concoctu facillimus. Farinaria cum ovis mixta huic intentioni respondent. Incraffantia utilia sunt, quando fluor albus a tenuitate fluidorum oritur.

Si vero omnia medicamenta jam praedita inefficacia fuerint, salivationem lau-

Daverunt

daverunt multi. Sed (me judice) praestat mercurium parvis dosibus, et intervallis convenientibus, adhibere, propter debilitatem corporis in hoc morbi stadio tam insignem.

Oleosa omnia, nec non spirituosa, fermentantiaque, aut acefcentia, cane pejus et angue vitanda sunt.

Permittendus autem caute, et exigua quantitate, usus vinorum fortium, et in acorem minime proclivium, qualia sunt vinum Lusitanicum rubrum, vinum Madeirense, et similia.

Multum prodest, ad tollendam ferosam uteri evacuationem, mulierem suum infante alere.

Nihil autem his remediis proficitur, nisi causae excitantes, jamjam recitatae, sedulo evitentur.

Si quid in hac dissertatione notatu dignum, id totum illustrissimis in Academia Edinensi Medicinae Professoribus acceptum refero: Quibus, ob innumera in me beneficia collata, grates debitas pericolvo.

Complures gentis Scoticae quoque alii sunt, quorum amicitiam saepe expertus, animo grato semper reminiscar.

F I N I S.

